



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1863

Vita S. Paulini Patriarchæ Aquileiensis. Ex variis scriptoribus Ecclesiasticis
collecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

Has omnes terras, ut præfatus sum, liberas ab omni calumnia acquisivi et sanctæ Dei ecclesie obtuli.

3 Qui ergo locum, quem Apostolica dignitas et regia potestas, regia libertate donavit, et nos auctoritate Dei et sanctorum Apostolorum donamus, depravare, aut minuere, vel contaminare præsumserit, judicetur ante tribunal Christi, et numquam in Christi veniat memoriam, nisi in hac vita poenitens emendet. Qui vero servaverit, et adlexerit, benedictionibus repletur. Fiat. Amen. Scripta est hæc charta anno Dominicæ Incarnationis 714. † Ego Eguvianus per

signum sanctæ crucis. † Ego c Kenredus Rex subscripsi. † Ego Offa per signum crucis confirmavi. † Ego Brichwaldus Archiepiscopus subscripsi. Ego Oswaldus frater Regis confirmavi.

a *Videri possit hoc Privilegium idem quod in vita cap. 2 relatum est, sed utroque loco a librario mutatum, aut potius diversa occasione a Sancto datum. Hic fortassis est liber ille, quem de initiis sui monasterii edidisse scribitur.*

b *Videtur aliquid deesse.*

c *Hæ regum subscriptiones, vel ex prioribus tabulis singularum donationum emptionumve huc translata, vel a librario sciolo additæ; cum eo anno neuter istorum fuerit se Regem appellaturus, quippe qui pridem monachi essent.*

EX VARIIS.
C

Subscriptio-
nes.

DE S. TATONE MONACHO.

AN. CHR.
DCCXXIX.
XI JANUARI.
S. Tatoni na-
talis.

In Samnio, non procul a Vulturni fluminis fonte monasterium est S. Vincentii, olim a Longobardorum Regibus multis prædiis locupletatum cujus quondam florentissimi, sed sua ætate collabascens meminit Leander in Samnio. In eo cenobio S. Tato colitur xi Januarii, teste Philippo Ferrario in catalogo generali Sanctorum, et in catalogo SS. Italiæ; qui ex dicti cenobii monumentis ejus acta breviter recenset.

Vita ex Fer-
rario.

2 Tato nobilis Beneventanus, ut Christo serviret, spreto omnibus, patria ac parentibus relictis, una cum Paldone, et Tasono fratribus, quibus erat idem propositum, peregrinationem suscepit. Ac primum in fines Marsorum ad Thomam Abbatem senem, cujus

fama sanctitatis vigeat, ut illum, quid sibi esset agendum, consulerent, sese conferunt: cujus persuasus in Samnium circa Vulturni annis ortum venientes, ibi in solitudine vitam asperrimam sub Paldonis majoris natu regimine, multis sibi sociis adjunctis ducunt. Mortuo Paldone Gregorio II, Pont. Max. Taso ætate minor in administratione subrogatur: cujus cum monachi austeritatem et severitatem non ferrent, Tatonem in locum illius subrogant. Quæ res ad Pontificem delata improbat. Ipse autem Tato interim sanctitate conspicuus, in Idus Januarii, anno salutis dcccxxx obdormit in Domino. Hæc Ferrarius. Colitur S. Paldo xi Octobris, S. Taso xi Decembris.

NOT. 149.

VITA S. PAULINI

PATRIARCHÆ AQUILEIENSIS.

Ex variis scriptoribus Ecclesiasticis collecta.

§ I. Patriarchatus Aquileiensis, Foro-Julii.

AN. CHR.
DCCIII.
XI JANUARI.

Aquileia urbs olim ampla ac frequens, parque maximarum Italiæ, (cujus antiquitatem libris sex descripsit Sabellicus) ad ipsius Ecclesiæ incunabulis Sede Episcopali est exornata, quam isthuc a S. Marco erectam, traditione magis quam antiquorum certo testimonio, constare assertit Baronius tom. 1, an. Ch. 43, num. 41. Postmodum qui ei præfuerunt Antistites, ante paulo quam Longobardi Italiam occuparent, Patriarchas more Græcorum et Orientalium, a suis fuisse appellatos, diximus viii Januar. ad vitam B. Laurentii Justiniani num. 6 in prolegom. Horum catalogum ex Onuphrio, Sigonio, Sabellico, Candido, Leandro, profert Claudius Robertus in appendice ad Galliam Christianam, et monet hos Patriarchas a civitatibus auctoribus aliquando dici Foro-Juliienses. Ejus appellationis hæc, quam dicemus, origo fuit.

Patriarchæ
Aquileienses.

In Gradum
insulam mi-
grant.

2 De Pannonia, inquit Paulus Diaconus lib. 2, cap. 7, egressi sunt Longobardi mense Aprili per Indictionem primam, alio die post sanctum Pascha, cujus festivitatis eo anno juxta calculi rationem ipsis kalendis Aprilibus fuit, cum jam a Domini incarnatione anni quingenti sexaginta octo essent evoluti: aut potius evoluerent. Aquileiensi civitati, ait idem cap. 10 ejusque populis B. Paulus Patriarcha præerat: qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileia ad Grados insulam confugit, secumque omnem suæ thesaurum Ecclesiæ deportavit. Hic Paulus, ab Onufrio in Chronico Ecclesiastico, et in Claudii Roberti catalogo Paulinus I dicitur. Itaque Paulinus II est is de quo agimus. Paulo, sive Paulino I successit Probinus, qui Ecclesiam unum rexit annum, ut Paulus Diaconus lib. 3, cap. 14. Post eadem Ecclesiæ Sacerdos

Elias præficitur. Huic, ut idem scribit cap. 20, nolentia tria capitula Chæcedonensis synodi suscipere, Pelagius Papa epistolam satis utilem misit, quam B. Gregorius cum esset adhuc Diaconus conscripsit. Eadem paulo fusius Sabellicus lib. 4 de Aquileia vetustate, qui hæc ad Severum Patriarcham Eliæ successorem ab aliis referri testatur. At non in eo situm Eliæ schisma fuit, quod tria capitula nollet suscipere, sed quod ea mordicus contra Ecclesiæ Catholicæ sententiam tueretur.

3 Post Severi obitum duo Patriarchæ fuerunt, inquit Sigonius lib. 2 de regno Italiæ ad annum Christi 603, unus qui Aquileiam, alter qui Gradum insedit. Huic instituto causam attulere Longobardi. Gisulfus enim Dux Forojuliensis, Christiana religione suscepta, vetus ditioni suæ dignitatis hujus fastigium quærens, sacros honores novo exemplo distribuere ausus, Joannem Abbatem per Clerum Aquileiensem Ecclesiæ designandum Patriarcham curavit. Contra vero Candianum Clerum Gradensis elegit. Dissidio perniciosi in futurum exempli oborto, res Romam delata: Pontifex Joanne rejecto Candianum probavit, eumque pallio exornavit. Neque eo secius Gisulfus suum Patriarcham retinuit. Hinc ipsarum Ecclesiarum divisio consecuta. Aquileiensi omnes Episcopi pariterunt, qui in continenti Venetia, quæ erat Longobardorum, sederunt; Gradensi, ii qui æstuarium atque Istriam, Imperatorem respicientia, tenuerunt. Hæc Sigonius; quæ brevius Paulus Diaconus lib. 4, cap. 34. His diebus defuncto Severo Patriarcha ordinatur Joannes Abbas Patriarcha in Aquileia vetere, cum consensu Regis, et Gisulfi Ducis. In Grados quoque ordinatus est Romanis Candianus Antistes. Rursum mense Novembrio et Decembrio stella Cometes apparuit. Candidiano quoque defuncto, apud Grados ordinatur

Duo deinceps,
in Grado, et
Aquileia.

EX VARIIS.

Patriarcha Epiphanius, qui fuerat Primicerius Notariorum, ab Episcopis qui erant sub Romanis : et ex illo tempore cœperunt duo esse Patriarchæ.

4 *Eadem fere ex Pio Pontifice Sabellicus, qui lib. 3 de Joannis successoribus ita scribit*: Successerat Joanni Aquileiensi Ecclesiæ Antistiti, de quo proximo libro mentionem fecimus, Marcianus; post quem, usque ad Calisti tempora. Antistites septem interfuere. His sedentibus pene nihil memoria dignum (quod ad ipsam Ecclesiam attinet) actum est. Calistus autem, qui in Sereni demortui locum (is enim illorum septem novissimus fuit) surrogatus est, quum ingenti vir animo esset, utpote qui non humili fortuna, sed loco clarissimo natus esset, ægerime ferebat Patriarchicam Sedem obscuro loco esse. Nam ab Helia Patriarcha ad eam diem (anni ferme centum intererant) Cromone fuerat : quum interim Longobardorum Duces Episcopum sibi Foro-Juliensem creassent, qui in luce hominum frequentique nobilitate cœtu constitutus, præstantioris fortunæ, quam Patriarcha, esse videbatur. Commotus rei indignitate Calistus, quod quispiam suæ diœcesis Antistes se dignior haberetur, Amatorem Episcopum, qui Federico successit (sed alibi Fidentium, pro Federico, legimus) Foro-Julio expulit; quo ipse cum Patriarchia Sede paulo post migravit, atque ubi domus Amatoris fuerat, sibi et successoribus egregias aedes pro loci conditione erexit.

Aquileiense Cormonibus degit.

Migrat Forum-Julii.

5 *Clarius Paulus Diaconus lib. 6, cap. 31.* Gravis sane per idem tempus inter Pemmonem Ducem et Calistum Patriarcham discordiæ rixa surrexit. Causa autem hujus discordiæ ista fuit. Adveniens anteriore tempore Fidentius Episcopus de castro Juliensi, cum voluntate superiorum Ducum, intra Foro-Juliani castrum muros habitavit, ubique sui Episcopatus sedem statuit. Quo vita decedente, Amator in ejus loco ordinatus est. Usque ad eundem enim diem superiores Patriarchæ, quia in Aquileia propter Romanorum incursionem habitare minime poterant, Sedem non in Foro-Julii, sed in Cormones habebant. Quod Calisto, qui erat nobilitate conspicuus, satis displicuit, ut in ejus diœcesi cum Duce et Langobardis habitaret Episcopus, et ipse tantum vulgo sociatus vitam duceret. Quid plura? Contra eundem Amatorem Episcopum egit, eumque de Foro-Julii expulit, atque in illius domo sibi habitationem statuit.

Inde Foro-Julienensis Patriarcha dictus.

6 *Inde factum, ut Aquileienses Patriarchæ, quod Foro-Julii domicilium fixissent, Foro-Julienenses dicerentur. Est vero Forum-Julii, vel Forum-Julium, Πτολεμαιο φέρουσιν ὡς κολωνία, Carnorum civitas ad Natisonem fluvium, quæ vulgo Civald di Friuli, vel civitas di Friuli dicitur; nam et ipsa nunc regio Forum-Julii appellatur. De civitate Paulus Diaconus lib. 2, cap. 14.* Hujus Venetiæ Aquileia civitas extitit caput, pro qua nunc Forum-Julii. Ergo Cormonibus (castrum est, sive oppidum, inter Forum-Julii et Gradiscam, vulgo Cormons) Forum-Julii migrarunt Patriarchæ : nunc Utini commorantur, sive Vedini. Juliense castrum, cujus Episcopum Fidentium refert Paulus, fuit fortassis Julium Carnicum, olim celebre oppidum, cujus nunc exigua supersunt vestigia, cum vulgari nomine Zuglio.

Quando sederit S. Paulinus.

7 Callisto, de quo jam diximus, Signaldus successit; huic S. Paulinus II, cujus primordia refert Onuphrius ad annum Chr. 776, atque annos omnino xxv, vult præsedisse. Sub eo Episcoporum contubernium Foro-Julium municipium Metropolim Aquileiensem, veneranter coæservatum convenisse legitur in Foro-Julien-sis, sub ipso Paulino habiti, Concilii actis, de quibus infra.

§ II. Doctrina. Familiaritas cum Carolo Magno et Alcuino Flacco.

Acta S. Paulini ex monumentis Ecclesiæ Aquileiensi a Ferrario collecta, citandaque inferius, declarant eum

ob vitæ probitatem et doctrinam ad Patriarchatum fuisse assumptum. De doctrina primum, tum de vitæ probitate agemus. Illam ostendunt quæ apud Carolum Magnum præclare gessit; quippe qui rebus illis, non in Italia solum, verum in Gallia et Germania, componendis præfuerit. Certe variis synodatibus conventibus sub Carolo coactis plurimum interfuisse se, ipse profertur in Concilio Foro-Julien-sis non sine querela, qui suar interim provinciæ, quam optabat, adhibere curam non potuerit. Verum illustris eruditionis ejus testimonium vel ipsa sunt celebrata ab eo Concilia, editique de rebus divinis commentarii. Baronius tom. 9, Annal. Eccles. an. Ch. 802, nu. 12 ait, antequam Patriarcha fieret, fuisse litterarum politiorum professorem, quod in Carolo Magno diplomate dicitur artis Grammaticæ Magister. Ipsum diploma damus ex Baronio, quod, quantum eum tum coluerit Carolus, ostendat.

Ob doctrinam carus Carolo Magno.

Insignis Grammaticus.

9 Carolus Dei gratia Rex Francorum et Longobardorum, et Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldis, vel omnibus fidelibus nostris presentibus et futuris. Merito quidem a nobis sublevantur muneribus, qui nostris fideliter obsequiis famulantur. Et ideo si petitiones eorum, pro quibus nostras pulsaverint aures, ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, atque illorum animam nobis deserviendo provocamus. Igitur notum sit omnium vestrum magnitudini, qualiter cedimus et donamus a nobis viro valde venerabili Paulino artis Grammaticæ Magistro, hoc est, res quondam et facultates quæ fuerunt Waldandii, filii quondam Mimoni de Laberiano, quæ ad nostrum devenerunt palatium, pro eo quod in campo cum Forticauso inimico nostro a nostris fidelibus fuerit interfectus; casa videlicet in Laberiano cum omni integritate et soliditate sua, id est, cum terris, domibus, ædificiis, ac colibiis, mancipiis, casis, massariis, cum servis, et aldionibus, vineis silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decurribus, mobilibus et immobilibus, omnia et ex omnibus, quantumcumque predictus Waldandius ibi aut alibi habere visus fuit, tam ex domo Regum aut Judicum, seu de comparato, aut de quolibet adtracto, prædicto Paulino a die presentis tradimus atque cedimus perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hac die prædictus Paulinus superscriptis de rebus quieto ordine teneat et possideat; et quidquid exinde facere voluerit, liberum in omnibus perferatur arbitrium. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus quamlibet de fidelibus aut successoribus nostris, prædicto Paulino de jam dictis rebus ullo unquam tempore inquietare, aut calumniam generare presumat : sed omni tempore ex dono largitatis nostræ ipsas res jure proprietario valeat possidere firmissimo. Et ut hæc præceptio firmiter habeatur, vel nostris vel futuris temporibus melius conservetur; manu propria in æternum decrevimus roborare, ac de annulo nostro jussimus sigillare. Data xv Kal. Julii, anno octavo regni nostri, e Loreia civitate, in Dei nomine feliciter. Hactenus diploma datum an. Christ. 773, quo ipse Carolus, inquit Baronius, adversus Desiderium in Italiam venit. De Carolo plura xxviii Januarii.

Donatio Caroli Magno Paulino facta, ante Episcopatum.

10 *Donationum a Carolo Magno factarum S. Paulino jam Patriarchæ meminit Sabellicus de vetustate Aquileiæ lib. 3.* Paulinus autem, inquit, Aquileiensi Antistes præclara quædam ab eodem Carolo obtinuit privilegia, quibus res Ecclesiæ non mediocriter aucta est.

in Episcopatu.

11 *Præter hanc apud Carolum notitiam, fuit magna illi cum Alcuino ipsius Caroli Magistro animorum conjunctio, forsitan ex utriusque in litteras politiores affectu ac studio. Eam ipse manifestat Alcuinus ep. 62.* Quando mihi Ausoniæ nobilitatis pagina optati prosperitatem ostendet amici? ut videam si aliqua fœderate in Christo amicitie in illius pectore maneat memoria : si Albi sui nomen stylo caritatis in cordis arcano reconditum

Amicitia Paulini cum Alcuino.

reconditum habeat, sicut suavissimum Paulini Patris nomen perpetua dilectione in corde filii aeternis viget litteris inscriptum. *Et max acceptis ab eo litteris erumpit in gaudium, et Si quid, ait, pleno caritatis modio superaddi potuisset, cumularem utique pristinam dilectionis plenitudinem novae abundantia laetitiae. Inscrubitur haec epistola ad quemdam, sed Paulinum suggerit ad marginem in editione an. 1617. Quercetanus. Ausonium, seu Italum, eundem appellat poemate 212, in quo et sacrorum ejus carminum meminit:*

Tingue tuos calamos caritas in gurgite Christi,
Atque meum pectus imple caelestibus odis;
Ut dignas valeam Paulino dicere grates,
Mellifluis nostras Musis qui impleverat aures,
Et memor unanimi longum post tempus amici
Carminibus sacris repetens: Albine valeto.
Quam festiva dies fuerat cum pagina nobis
Laeta fuit titulis optatae inscripta salutis!
Omnia dicta mihi caritatis melle manabant:
Quo se devertit letus relegentis ocellus
Cernit ubique suae semper nova gaudia mentis:
Maxime jam gaudens in prosperitate paterna,
Quem Deus aeterno conservet tempore sanum.
O lux Ausoniae patriae, decus, inclytus auctor,
Justitiae cultor, sacrae pietatis amator,
Te mea mens ardet sacris conscripta catenis,
Diligat, exquirat, complectitur, adtrahit, ambit,
Pectoris aeterna secumque recondet in arca.

Doctrina ejus a Walafrido laudata.

12 Walafridus Strabo hymnos ab eo sacros compositos refert lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 23. Traditur siquidem Paulinum Foro-Juliensem Patriarcham saepius, et maxime in privatis Missis, circa immolationem Sacramentorum, hymnos vel ab aliis vel a se compositos celebrasse. Ego vero crediderim tantum tantaque scientiae virum hoc nec sine auctoritate, nec sine rationis ponderatione fecisse. *Haec Strabo.*

§ III. *Eximia ejus in Deum pietas, studium orationis.*

Quanta fuerit Paulinus vitae probitate eximia ejus in Deum pietas docet studiumque orationis. Sacrificiis illius precibusque plurimum confusus Alcuinus est. *Liquet ex epistolis ejus 73 et 113. Illam, una cum epistola 72, ad Leonem III, Papam detulit Angilbertus Abbas S. Richarii. Earum mentio fit in Syntagmate Pauli Petavii de Nithardo Caroli Magni nepote apud Andream du Chesne tom. 2. Historiae Francorum scriptorum his verbis: Tum vero detulit Angilbertus et Alcuini litteras ad Leonem III, et Paulinum Aquileiensem Patriarcham. In altera, cujus inscriptio est, Paulino sanctissimo Patriarchae Levita Alcuinus salutem, ita legitur: Si nomen Paulini mei non in cera, quae deleri potest, scripsi; ne quaeso obliviscaris in tuis sanctis orationibus nomen amici tui Albini, sed in aliquo memoriae gazo phylacio reconde illud, et profer eo tempore opportuno, quo panem et vinum in substantiam corporis et sanguinis Christi consecraveris. Diu dilectionis tuae expectavi promissa, hoc est vivificae crucis, vel aliarum reliquiarum patrocinia. Noli me obsecro tanto fraudare munere. Et epist. 93, scribit, se in portitoris dextram posuisse indiculum, pro filiae suae Liutgardis feminae religiosae ac Deo devotae caussa. Nam illa sanctitati tuae duas direxit armillas auri obryzi, pensantes xxiv denarios minus de nova moneta Regis quam libram plenam; ut orares pro ea cum Sacerdotibus tuis, quatenus divina clementia dies suos disposuisset in salutem animae suae, et sanctae suae exaltationem Ecclesiae. Ego, de tua indubius fide, suasi ut faceret. Tu vero Pater sancte, mei et illius memor ubique, in Christi caritate valeto.*

Alcuinus ejus se sacrificiis commendat.

item alios.

14 *Et epist. 94, ita Aericio Duci scribit: Plura tibi*

venerande de Christianae pietatis observatione forte scripsissem, si tibi doctor egregius, et pius caelestis vitae praeceptor, Paulinus meus praesto non esset: de cujus corde emanat fons viventis aquae, in vitam salientis aeternam. Illum habeas tibi salutis aeternae conciliatorem, ne alicubi tuae conversationis pes impingat, sed recto itinere currens, divina donante gratia, ad perpetuae portae vitae pervenire mereatur. *Eadem poemate 214, repetit:*

O Pauline Pater, Pastor, Patriarcha, Sacerdos,
Pars animae melior, nostrae pars inclyta vitae;
Sis memor Albini, sacris altaribus adstans,
Et dulces inter lacrymas super ora fluentes,
Dic: Miserere Deus nostro clementer amico,
Criminibusque suis veniam largire benignus:
Ut te cum Sanctis liceat laudare per aevum.
Omnipotens Patris virtus, sapientia Christus,
Obsecro te supplex toto de pectore pauper,
Ut tua conservet Paulinum dextera semper,
Protegat atque regat, virtutum floribus ornet.
Tuque Maria Dei genitrix sanctissima Virgo,
Prospera cuncta meo Paulino posce, precamur:
Ut vigeat, valeat Christi repletus amore.
Vos quoque cara simul Sanctorum turba Tonanti,
Qui bibulas proni monitis caelestibus aures
Ecclesiae Patres habuistis semper apertas,
Et nunc cum Christo caelestia regna tenetis;
Fundite, proque mei Paulini, posco, salute
Cum pietate preces summo super omnia Regi.
Ut vigeat, valeat Christi praecepta secutus.
Et vos Ecclesiae.... sanctissima proles,
In commune prece, prostrato corpore sanus,
Angelici faciem caram Paulini habeatis in aevum,
Illius et vitam precibus commendite Christo,
Ut vigeat, valeat longaevo tempore sanus.
Angelici faciem coetus qui cernitis almam
Perpetui Patris caelesti in culmine semper,
Expansis manibus humili sed pectore posco,
Vos quoque Paulinum precibus defendite vestris,
Ut gaudens regnet vestro sociatus honori,
Aeternisque Dei vobiscum laudibus adsit,
Regna beata tenens felix sine fine polorum.
Hos rogo versiculos habeas, Pater optime, tecum,
Ut tua mens memoret laeto pro carmine nutum.
Sit tibi Christus amor, virtus, decus, omnia Christus.
Sit via, vita, salus, spes, laus, et gloria perpes:
Semper in ore sonet, maneatur in pectore semper:
Ut tibi cum Sanctis tribuat caelestia regna:
Qua memor esto tui nati, te posco per illum
Qui te perpetuam caeli deducat in aulam.
Et nunc et semper, mi mi Pauline, valeto.
Carminis hic finem lacrymis faciemus amatis,
Sed numquam sacri finem faciemus amoris.

EX VARIIS.

Ejus pietatem idem laudat.

Iterum se ejus precibus et lacrymis commendat.

Vicissim ei bene precatur.

§ IV. *Conciones. Fides propagata.*

In citata ante paulo epistola 113, ita Paulini in concionibus zelum deprædicat Alcuinus: Si quid nostra petitio apud vos valeat, et tua semper apud Deum valeat petitio, qui te in tam sublimi statuit gradu, ubi ejusdem Dei Domini nostri Jesu Christi effectus... Vide quam sublime est hoc nomen. Contende meritis esse, quod nomine vocaris. Clama, nec cesses; exalta, quasi tuba, vocem tuam. Sit guttur tuum tuba Dei. Prædica importune, opportune. Tu gallus in prædicatione, succinetus in castitate: tu aries in veritate fortissimus, cui nullus Regum resistere poterit. Tu lucerna super candelabrum in domo Dei. Tua lingua caelum claudit et aperit: aperit primum per prædicationis devotionem. Ad exemplum Christi recurre, qui per civitates, castella, vicos, villas evangelizando iter agebat: etiam et domus publicanorum, vel peccatorum, propter occasionem prædicationis, non abhorruit intrare. Spes præmii solatium sit laboris.

Alcuinus hortatur eum ad opus Evangelii.

Quid

EX VARIIS.

Quid facio insipiens ego contra Philosophicum proverbium, ligna in silvam ferens, stillicidiis flumina irrigans? Modulum meum extuli figuræ. Obsecro per ejus amorem, qui duo minuta viduæ donis divitum præfererat. Caritas omnia suffert, in qua qui manet in Deo manet, quia Deus caritas est.

Fertur Carinthiis prædicasse.

16 Hac ejus prædicatione Evangelica Carinthiæ populos, et nationes finitimas ad fidem Christi perductas fuisse, ex antiquis monumentis docet Ferrarius. Idemne Avaris fidem Christi annuntiavit, dubium, cum in aula Caroli Magni ad id munus obeundum vel destinatum, vel certe maxime idoneum fuisse habitum, conjicimus ex epistola 112 Alcuini ad S. Paulinum: Forte, inquit, et harum lector litterarum talem se memorat, qualem me agnoscit in illis, et maxime tu, Pater sancte, de cujus corde fons vitæ emanat, caritas, et flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Et qui hæc in consolationem spei nostræ promisit, tui est inhabitator pectoris, qui est virtus sapientia Dei, in cujus potentia et gratia mirabiliter de Avarorum genere triumphatum est: quorum Missi ad dominum Regem directi subjectionem pacificam et Christianitatis fidem promittentes. Et si hoc, divina eos præveniente gratia verum est: quis se servorum Dei tam pio et laudabili labori subtrahere debet, ut diaboli diruatur sævitia, et Christi Domini crescat servitium? Sed quam plurimorum in te, Pater optime, oculi respiciunt, quid vestra veneranda sanctitas facere velit. Quia et vicinitas locorum tibi competit, et sapientiæ decus suppetit, et auctoritatis excellentia tibi appetit, et cuncta conveniunt, quæ tali operi necessaria esse videntur. Ideo meæ parvitatibus curiositas propterea hujus sanctæ rei desiderat veritatem, et tuæ consilium deposcit prudentiæ: vel quid exinde agere tam bona voluntas deliberatum habeat, agnoscere flagitat. Opus enim arduum est, sed, ipsa attestante veritate: Omnia scimus esse possibilia credenti. Et qui de persecutore fecit prædicatorem, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum Principibus, ipse potest de aridæ cordis mei caute rivulus vivi fontis et in vitam salientis, producere æternam: quanto magis de vestro pectore abundantissima flumina Gehonica, fluentia per totam Nilotici ruris latitudinem ad fecundandos diversi generis flores, diffundere valet? Audiat obsecro, per te, unanimis tuæ caritatis filius, quid paterna prævideat agendum prudentia. Certissimum itaque consilium salutis per os illius sperari debet, cujus pectoris septiformis consilii inhabitator dignoscitur.

Destinatus conversioni Avarum.

Marci. 9. 22.

17 De Avaris alibi sæpe. In Annalibus Francorum mss. qui penes nos sunt (consentiunt a Du Chesne editi tom. 2 Historiæ Francorum scriptorum Annales sed anno uno serius narrant) dicuntur an. Ch. 793 ad Carolum Magnum venisse Missi Thudun, qui in gente et regno Avarorum magnam potestatem habebat. Qui dixerunt, quod ibi Thudun cum terra et populo suo se Regi dedere vellet, et ejus ordinatione Christianam fidem suscipere vellet. Et anno sequenti 796: Thudun, secundum pollicitationem suam cum magna parte Avarorum ad Regem venit, se cum populo suo et patria Regi dedit, et ipse et populus baptizatus est, et honorifice muneribus dotati redierunt. Et anno 797, Legati gentis Avarorum cum muneribus magnis venerunt. Eadem memorant Annales Fuldenses de Hunnis. Et certe Paulus Diaconus lib. 2, cap. 10, Hunni qui et Avars, inquit. Relatam Alcuini epistolam post priorem legationem fuisse scriptam, facile hinc quisvis intelliget.

Conversio Avarum.

§ V. Hæreses oppugnatæ, celebrata Concilia, libri editi.

Concilium Foro-Julienense an. 791.

Gemina Dei Ecclesiam eo tempore hæresis turbabat: una in Oriente in processione Spiritus sancti; in Occidente de Verbi Incarnatione altera. Spiritum sanctum Græci quidam a solo Patre docebant procedere; Christum

asserebat Etipandus Toletanus Episcopus in Hispania, cumque eo Felix Urgelitanus, secundum naturam quædam divinam Dei filium esse naturalem, secundum humanam vero adoptivum; adeoque Nestorii tanto ante extinctum dogma quodammodo suscitabant. Utrique malo remedium admovit Paulinus in Concilio provinciali quod Fero-Julii anno regni Caroli 23, Christi 791, coegit. Ibi sæpius damnata rursus jugulata hæresis est, docente Patriarcha Patrem et Filium unum esse principium processionis Spiritus sancti. Eam universæ Ecclesiæ a S. Leonis Magni temporibus sententiam fuisse. Ibi Etipandi et Felicis solidissime confutata, explosa, proscripta novitas. Symbola fidei Nicænum et Constantinopolitanum utrique hæresi opposita, Actisque synodicis inserta.

19 Anno sequenti 792, Concilium Ratisponæ collectum in palatio Regis, ubi Felix Urgelitanus errasse convictus, ad præsentiam Hadriani Pontificis Romanæ missus, ubi etiam coram ipso in basilica S. Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit. Ita Annales Francorum editi, at ms. codex noster: In Reganesburg hæresis Felicianæ primo ibi condemnata est, quem Angilbertus in præsentiam Hadriani Apostolici adduxit, et confessione facta suam hæresim iterum abdicavit.

Concilium Ratisponense 792.

20 Anno 794, Pascha celebratum est, ut idem habet ms. codex, in Franconofurt, ibique congregata est synodus magna Episcoporum Galliarum, Germanorum, Italarum, in præsentia jam fati Principis, et Missorum Domini Apostolici Adriani, quorum nomina hæc sunt, Theophylactus et Stephanus Episcopi. Ibi tertio condemnata est hæresis Felicianæ: quam damnationem per auctoritatem sanctorum Patrum in libro conscripserunt, quem librum omnes Sacerdotes manibus propriis subscripserunt. Exstant præter canones Concilii epistola Adriani Papæ, Libellus Episcoporum Italiæ, Synodica Episcoporum Galliarum et Germaniarum nomine, Caroli Magni Regis Epistola, omnia ad Episcopos Hispaniæ missa. Nusquam appositæ sunt subscriptiones. Libellum ab ipso Paulino peculiariter esse compositum, ut qui eruditione ceteris præstaret, licet ex ipsis ejus verbis colligere: Quapropter ego Paulinus, inquit, licet indignus peccator, omniumque servorum Domini ultimus servus, Aquilegiensis Sedis Hesperioris accinctæ, cui Deo auctore deservio, nomine, non merito Præsul, una cum reverendissimo et omni honore digno, Petro Mediolanensis Sedis Archiepiscopo, cunctisque cum collegis fratribus, et consacerdotibus nostris, Liguriæ, Austriæ, Hesperiarum, Æmilie Catholicarum Ecclesiarum venerandis Præsulibus, juxta exilem intelligentiæ nostræ tenuitatem, sancto perdoctente Spiritu, corde, lingua, stylo contra eorum vesanias, qui rectæ fidei sunt adversarii, respondere non formido: cum sit sancta et universalis Ecclesia super firmam nihilominus immobiliter fundata petram, et portæ inferi nequeant prævalere adversus eam. De eodem Libello in epistola sua Carolus: Deinde secundo loco, quid Ecclesiastici Doctores et Sacerdotes Ecclesiarum Christi de propinqui oribus Italiæ partibus, cum Petro Mediolanensi Archiepiscopo, et Paulino Foro-Julianensi vel Aquileianensi Patriarcha, viris in Domino valde venerabilibus, intelligi vel firmiter credi voluissent, suis propriis responsionibus, exaratum posuimus libellum, quia ipsi quoque præsentibus nostro Synodali conventui adfuerunt.

Concilium Franconofurtense 794.

Libellus tum scriptus a Paulino, ceterorum nomine.

21 Nec hic Paulini zelus stetit. Tres alios contra Felicianam hæresim libros composuit (adjuncta in fine Regula fidei metro scripta) quos et ipsi Carolo Magno dedicavit, ac ut ejus imperiis urgentibus ad manus peritissimi Oratoris sui Albini deferrentur, obsecravit in epistola ad Carolum Regem, cujus fragmentum superest. Etenim Alcuinus cum impositam a Carolo Rege illius refutandæ hæresis provinciam suscepisset, adjuutores sibi in defensione fidei Catholice dari postulavit,

Paulini scripta.

lavit, Paulinum Patriarcham Aquileiensem, Richbodem et Theodulphum Episcopos, aliosque celebres Doctores ac Magistros, ut ipse testatur *epist. 4, et 8, ad Carolum. Hos S. Paulini libellos, cum antehac lucem non vidissent, Andreas Quercetanus una cum Alcuini operibus edidit; et septem alios libros, qui sub S. Paulini nomine adversus eundem Felicem ferebantur, ostendit Alcuini verum esse ac germanum fetum. Luculentum de S. Paulini in Concilio auctoritate et libris scriptis, extat testimonium apud continuatorem Pauli Warnefridi de historia Longobardorum. Anno dcccxciv. In Galliis, in loco qui Franconofurth dicitur, adversus Elifandum Hispaniarum Toletanae Sedis Episcopum, et Felicem ejus socium, magna Synodus congregata est. Hi asserebant Dei filium adoptivum, non proprium esse. Quam haeresim viri sanctissimi Paulinus Aquilegiensis Patriarcha, et Petrus Mediolanensis Archiepiscopus, seu Alcuinus insulae Britanniae Archidiaconus, cum caeteris Episcopis, divinarum Scripturarum adsertionibus destruentes, proprium eum, et non adoptivum dici sanxerunt. Contra quam haeresim Leo tertius Papa congregata Romae Synodo, multis eam Evangeliorum et sanctorum Patrum testimoniis in perpetuum damnavit. Nam et Paulinus, vir mirae scientiae Patriarcha, adversus hanc nefandissimam haeresim tres libros luculento sermone composuit.*

Laudata ab Alcuino.

22 De his Alcuini *epist. 81, ad Sanctum Paulinum sic scribit*: Cum beatitudinis vestrae litteras omni favo dulciores intueri mereor, nonne videor mihi inter varios Paradisi flores totus conversari, et avida desiderii mei dextera spiritalis exinde capere fructus? Quanto magis cum sacratissimae fidei vestrae Libellum recensui, Catholicae pacis puritate ornatum, eloquentiae venustate jocundissimum, sensuum veritate firmissimum, totius animi mei habenas in laetium laxavi! Ubi de uno lucidissimo et saluberrimo Paradisi fonte, quatuor virtutum flumina, non solum Ausoniae fertilitatis prata, sed totius Ecclesiasticae Latinitatis rura irrigare consexi. Ubi et aurivomos spiritalium sensuum gurgites gemmis scholasticae urbanitatis abundare intellexi. Quam plurimis vero profuturum, et pernecessarium fecistis opus, in Catholicae fidei taxatione, quod diu optavi, et saepius Domino Regi suasi, ut Symbolum Catholicae fidei planissimis sensibus, et sermonibus luculentissimis in unam congregaretur chartulam; et per singulas Episcopatum regiminum parochias omnibus daretur Presbyteris legenda, memoriaeque commendanda: quatenus licet lingua diversa loqueretur, una tamen fides ubique resonaret. Ecce, quod mea optavit humilitas, vestra implevit sublimitas. Habet apud salutis nostrae auctorem, perpetuam scilicet et hujus bonae voluntatis mercedem: et hujus perfecti operis apud homines laudem. Semper ferventissima caritas vestra castra perpetui Regis undique invictissimis fidei clypeis munit: ne antiqui hostis versutia, aliqua ex parte aditum suae nequitiæ invenire valeat.

Varia ejusdem laudes.

23 Et post pauca: Tu vero vir Apostolice, hac armatus potestate, viriliter pugna, fortiter vince, ut feliciter regnes cum Christo. Heu proh dolor! multi solent desuper contextam Christi tunicam haereticis scindere unguibus, et in pace Ecclesiae facere, quod milites in passione Christi non ausi sunt facere. Quapropter venerande Pater et doctissime athleta, et dulcissime Doctor, simus semper in castris Christi commanipulares, et in una acie, sub vexillo sanctae Crucis concordii consilio et virtute praeriantes, ut suos adversarios per nos vincat, qui vinci non potest. Ac tandem sub finem: Tuum est, o Pastor electe gregis, et custos portarum civitatis Dei, qui clavem scientiae potente dextera tenes, et quinque lapides limpidissimos lava recondis, blasphemantes exercitum Dei viventis Philistaeos in superbissimo Goliath uno ve-

ritatis ictu totos contere. Nostrum est elevatis cum Moyse manibus in caelum, humilitatis precibus te adjuvare, et spectare cum David in munitissima civitatis turre, donec speculator ex alto culminis fastigio clamitans, nobis tuam adnuntiet victoriam. Ad te omnium aspiciunt oculi, aliquid de tuo affluentissimo eloquio caeleste desiderantes audire: et ferventissimo sapientiae sole frigidissimos grandinum lapides, qui culmina sapientissimi Salomonis ferire non metuunt, per te citius resolvi expectantes. Tu vero lucerna ardens et lucens, nos in tua luce exultare gaudemus, ut te lucente et ducente ad lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ejusdem aeternae lucis gratia adjuvante pervenire mereamur.

§ V. Immunitas Ecclesiastica defensa.

Celebravit Altini, oppido provinciae Aquileiensis S. Paulinus Concilium anno Christi, ut vult Baronius, 802, Leonis Papae III 7, imperii Caroli Magni 2, cujus Concilii nomine S. Paulinus Carolum provocavit ad ultionem immanissimi sceleris a Venetorum Duce perpetrati, cum in Gradensem furens Episcopum, eundem e turri praecipitem dedit. Prodiit Annales Veneti, ut Baronius anno Chr. 802, et Binius tomo 3, Conciliorum parte 1, sect. 2, annotarunt, Joannem Ducem adversus Joannem Gradensem Patriarcham ira commotum, classe comparata, ingentem patrasse caedem, ipsumque Patriarcham e celsa turri praecipitem dedisse. Adversus ista adeo nefanda, ejus regionis Episcopi in unum coacti, litteris scriptis auxilium postulaverunt Francorum. Porro sequenti anno in locum necati Patriarchae substitutus est Fortunatus; cui Leo Papa pallium concessisse reperitur, eodem anno Indictione undecima, duodecimo Kalendas Aprilis. Sed quae causa praecesserit, ut Joannes Episcopus Gradensis tam immaniter trucidaretur, sic accipe: Christophorus homo Graecus Ulivolensis Episcopus, Joanne Duce concedente, ac gratia Nicephori Imperatoris ea in re serviente, fuerat constitutus. Quam rem cum iniquo animo ferrent Venetiarum Tribuni, Joannem Gradensem Patriarcham, ne illum consecraret, orarunt. Itaque Joannes obsecutus, Christophorum non solum non consecravit, sed etiam a pium communionem semovit. Quo facto Joannes Dux usque adeo exarsit ira, ut Mauricio filio Duce assumpto classem Gradum adduxerit, atque oppido primo adventu capto, Patriarcham arreptum ex celsissima turri praecipitarit. Haec Baronius. At Sabellicus *Enneadis 8, lib. 9, et Petrus Justinianus Historiae Venetae lib. 1, scribunt Patriarcham illum a nefarii Ducibus occisum, quod eorum immania flagitia argueret.*

EX VARIIS.

Ducis Veneti adversus Patriarcham Gradensem immanis crudelitas.

25 Epistola S. Paulini ad Carolum Imperatorem ita habet: Catholico semperque inclyto triumphatori Domino Carolo, divina coronante clementia Imperatori, Paulinus minimus omnium servorum servus, concordii parillique devotione, cum fratribus, et cum sacerdotibus nostris, roseo in Christo Jesu cruce aeternas multipliciter supplicii concinamus stylisona voce salutes. Et sacris paternorum canonum valenter incitantibus documentis, et vestris (ut verum resonat) mellitis salubribus irrorantibus syllabis in hac, cui Deo auctore, licet indignus indignoque famulatu deservio. Sede, Concilium habitum Altini fuisse, sub nomine Regis tranquillissimis vestrae serenitatis auribus operae pretium duximus humillimis horum, quamvis incultorum, apicum suppliciter notululis infimare, et inferius. De Sacerdotibus autem plagis impositis semiquevis relictis, vel certe diabolico fervescente furore, per ejus satellites interemptis, non meum, sed vestrae definitionis erit iudicium: in vestra itaque potestatis altitudine, in quodam judiciali libello a sanctis olim Patribus salubriter praebato legisse

EX VARIIS.
Paulinus Carolum ad ultionem hortatur.

legisse me recolo reservatum. Ob quam igitur causam hæc fecerint, vestris certius scio omnino non latuisse, neque latere sacris memoriis. Neminem namque alium arbitrati sunt sanctam Ecclesiam de illatis injuriis tam potentissime, quam regali animadversione ulcisci, vicariam ab eo vicissitudinis expectans curam, ut quemadmodum illa eum et in præsentem seculo, et inter bella spiritalibus non cessat coronare triumphis, et cælesti regno, divinam implorando clementiam, participem fieri imprecatur, ita et ille principalem adeptus potentiam, et ab inimicis ejus valenteream defendere, et de hostibus ejus ultrici invectionis sententia non desinat vindicare. Non igitur dedignetur benignitatis vestrae excellentia, sollicitudinis erga eam pro hoc negotio vigilanter gerere curam, rememorantes per omnia sacri fontis utero, de quo multo longe feliciter estis renati, fideique lactis dulcine enutriti, quam prius materna, bene quamvis, vulva generati, carnalibus estis uberibus ab lactati. Egrediatur quapropter (si placet) una de hac re per universam regni vestri late diffusam monarchiam decretalis sententiæ ultio, qua nulla umquam possit inimica veritatis, et adversatrix justitiæ, quolibet urgente refragationis instinctu, oblivio abolere. Valde enim hujus sceleris truculenta præstigia, ob incuriam disciplinæ, per cunctas mundi Ecclesias pervaluerunt partes. Unde vestri est censura magistræ ressecanda hæc noxalis morbi modis omnibus pestis, et potentissima docilique funditus manu extirpanda, quatenus sit sancta Ecclesia vestris adjuncta præsidii libera, ab humano sanguine impolluta, quæ Christi est pretioso sanguine purpurata; quocirca ejusdem retenti feliciter gremio, et in hac vita incolumes, et gloriosi, et æterna beatitudine gaudebundi, semper potiamini et felices, per Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in Trinitate perfecta per omnia secula seculorum, Amen.

§ VII. Obitus. Publica veneratio.

Annus mortis. **H**abitus est, inquit *Quercetanus*, Paulinus ipse, sicut et Alcuinus doctrina ac sanctitate celebris, ipsumque et in vita et post mortem miraculis claruisse testantur Aquileiense Ecclesie, cui præfuit, antiqua monumenta. Diem extremum obiit anno salutis MCCXII, ut auctor est Hermannus Contractus in Chronico. *Hæc Quercetanus*. In Chronico Hermannus Contracti, quo uti sumus, altum de obitu Paulini silentium. Ast in Annalibus Francorum Fuldensibus hæc habentur: Anno MCCXII, Paulinus Patriarcha Foro-Julienensis obiit, e quibus Baronius an. 802, num. 11, corrigit, quæ habentur in ejus vita, ipsum diem obiisse anno Domini octingentesimo quarto. Constat ex superius dictis Leonem Papam Gradensi Patriarchæ Fortunato, Joannis a Veneto Duce interempti successori, pallium

concessisse Indict. XI, ann. 803, mense Aprili, quo factus anno ineunte obiit Paulinus, mense Januario, qui secundum calculum Gallorum, annos a Paschate auspiciantium, anno præcedenti accensebatur.

27 Natalem ejus celebrant hoc die Carthusiani Coloni. in Addit. ad Usuardum: Item Paulini Patriarchæ Aquileiense. Idem habet Martyrologium Germanicum, in quo Aquileia Aglar appellatur. *ms. Martyrol. S. Marix Ultrajecti*: In Aquilegia Paulini Patriarchæ. *ms. Martyrol. monasterii S. Martini Treviris*: Aquileia Paulini Patriarchæ. *Ferrarius in catalogo generali Sanctorum ex Tabulis Ecclesie Civitatis et Aquileiense*: Foro-Julio in Carnis S. Paulini Episcopi Aquileiense. *Ejus res gestas ex monumentis citata Ecclesie breviter ita describit idem Ferrarius in catalogo Sanct. Italiae.*

Annua festivitas.

28 Paulinus ob ejus vitæ probitatem, et doctrinam ad Episcopatum, sive Patriarchatum Aquileiensem Carolo Magno Imperatore assumitur, cui Imperatori ita carus fuit, ut rebus non Italia solum, verum et in Gallia, ac Germania, componendis ejus opera uteretur; et multas opes, quas tamen ille pauperibus distribuit, largiretur. Adversus hæreticos strenue certavit, maxime vero in Concilio Francordie, Hadriano primo Pontif. Max. adversus Iconoclastas coacto. Ipse Concilium Foro-Julienense, in quo plura contra hæreses, et pro morum reformatione sancivit, indixit, et celebravit. In iis occupatus, haud tamen de vitæ suæ austeritate aliquid remittebat, cum jejuniis, vigiliis, piis meditationibus, et ceteris exercitationibus spirituales assidue prosequeretur. Prædicationi quoque Evangelicæ vacabat, qua Carinthia populos et nationes finitimas ad fidem Christi perduxit. Martyrii cupidus fuit, licet autem voti compos non fuerit, multas nihilominus a Barbaris perpressus est injurias et molestias. Multis etiam claruit miraculis, quibus doctrinam a se prædicatam confirmabat. Ejus causa Carolus Imperator multis muneribus ac privilegiis Aquileiensem Ecclesiam decoravit. Multis tandem laboribus pro Ecclesia perfunctus, senioque confectus migravit ad Christum an. sal. MCCXV, Foro-Julii in majori basilica sepultus. Cujus natalis in Non. Jan. ab Ecclesia Aquileiense celebratur. *Hæc Ferrarius, qui videtur voluisse scribere in Idus Januarii. Basilica prædicta Dei Genitrici semperque Virgini sacra fuit, in qua ipse Concilium Foro-Julienense celebravit Ferrarius in generali Catalogo ait, corpus ejus adhuc in Ecclesia Civitatis asservari et coli. Ei hoc Epitaphium posuit Alcuinus poemate 213.*

Vita ex Ferrario.

Hic Paulinus ovans toto requiescit in ævo,
Hocque cubile Pater dignus dignetur habere.
Invidus hoc templum numquam pertranseat hostis,
Ne caros animis subito disjungat amicos,
Quos Christi caritas caros conjunxit amicos.

Epitaphium.

